

oporet. Ut autem prae manibus ea omnia habeant, quae ad nostras Institutiones sunt necessaria, Arithmetica & Geometria tali studio adornavi, ut nihil nimis & nihil minus quam necesse sit contineant. Unum aliud a studiosis adolescentibus maxime exoptarem, ut Arithmetica, & Geometria, Logicæ etiam studio præmitterent; etenim Arithmeticae & Geometriae principia, ob firmam & perpetuam veritatis possessionem, aptissima sunt ad mentis aciem exoliendam, Logicam naturalem perficiendam, rectaque methodum conciliandam.

Nec me reprehendat aliquis, quod hac nostra ætate, his cultioris sublimiorisque physices temporibus, minus difficiles Institutiones tradere & proponere audeam. De me quidem modeste, ut par est, sentio, non tamen nimis demisse, quod quidem fœta & affectata, quam abhorreo, foret humilitatis. At in reconditori physica me omnino peregrinum & hospitem non esse, demonstratum confido & iis, quae jam edidi operibus; & aliis quae apud me primo possem confirmare. Verum doctos quidem se probant illi physicae magistri, qui intricatissima physices *Theorematum* Tyronibus explicare laborant; mea tamen sententia, rem faciunt non valde utilem, praesertim si frequentior sit auditorum numerus, & adolescentum mentes doctrinae